

10. Non delectatur robore equi, neq; placent ipsi crura viri.
11. Placent Domino timentes ipsum, qui spem collocant in benignitatem eius.
12. Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.
13. Quoniam corroborat vectes portarum tuarū, benedit filii tuis in medio tui.
14. Qui ponit fines tuos pacem, adipe frumentis satiat te.
15. Qui emitit eloquium suum terrae, admodum velociter currit verbum eius.
16. Qui dat niuem quasi lanam, pruinam velut cinerem spargit.
17. Projicit glaciem suam quasi buccellas, ante frigus eius quis consistat?
18. Mittit verbum suum, & liquefacit ea: reducit spiritum suum, & fluunt aquæ.
19. Qui annunciat verbum suum Iacob, statuta & iudicia sua Israëli.
20. Non fecit ad hunc modum cuilibet genti, & iudicia sua non manifestauit eis.

Halleluiah.

**LECTIO.** Quoniam bonum est psallere Deo nostro.] Ebr. בְּרוּ בָּשָׂר אֱלֹהִים id est: Quoniam verbona est psalmus. &c addit: וְאַתָּה נָדַבְתָּ בְּעֵדוֹתֶיךָ id est, Deo nostro iucunda sit laudatio. Vulg. Lat. Quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit iucunda decoratio laudatio. Verum posterius hemistichiu in Ebreo sic habet: בְּרוּ בְּנֵי צִיּוֹן id est: quod Hieronymus ad hunc modum reddidit: Quoniam decorum est, pulchra laudatio. Hic vocabulum בְּרוּ neutraliter legit, & ad laudationem retulit. Felix sic: Quoniam iucundum, decora est laus. Pagninus retulit ad Dominum, sic rediens: Quoniam dulcis, decora est laus. Campensis totum hunc versum sic reddidit: Laudate Deum, qui benignus est psalmis cantate Deum nostrum, gratiosissimus est, & ipsum maximè decet laus. Hic quod in Ebreo est בְּרוּ psallere: verit, Psalmis cantate. quasi esset רְבִיר: id est, Psallite.

**Vers. 1.** **Exiles Israëlis]** Ebr. גָּדוֹלָה יִשְׂרָאֵל id est, Propulsato: ac eiectos Israëlis. Hieron. legit: Eiectos Israël. Sic & Felix, & Pagn & Iustin. Græc. & vulg. Lat. habent: Dispersiones Israëlis. Sensus tamen idem est.

**Vers. 3.** **Ac medetur doloribus eorum.]** Ebr. וּמְחַבֵּשׁ לְעֻצְבּוֹתֶם Græc. & vulg. Lat. Et alligat contritiones eorum. Hieron. Et alligat plagas eorum. Felix: Et lenit dolores eorum. Pagn. Et alligat dolores eorum.

**Vers. 4.** **Omnibus nomina vocat.]** Ebr. לְכָלָם שְׁמוֹתֵי קָרָא. Hieron. Et omnes nomine suo vocat. Felix: Omnes illas nominibus vocabit.

**Vers. 6.** **Attollit afflictos Dominus.]** Ebr. מִשְׁעָרָה עֲגָרָה Græc. & vulg. Lat. Suscipiens mansuetos Dominus. Sic & Hieron. Felix: Subleuans mansuetos Dominus.

**Vers. 8.** **Producit in montibus herbam.]** Arabs. Græcus, & vulg. Lat. adiiciunt: Seruitui hominum: quod in Ebreo non est, sed ex verso 14 Psal. 104 hoc translatum.

**Vers. 9.** **Pullis coruorum inuocantibus.]** Ebr. אֲשֶׁר יִקְרָא id est, Qui clamant: vel, Qui inuocant. Arabs addit: Adeum Et Græc. & vulg. legunt: Inuocantibus eum. Verum nō est in Ebreo, inuocantibus eum: sed simpli- citer, Qui clamant, vel inuocant.

**Vers. 17.** **Projicit glaciem suam.]** Græc. & vulg. Lat. legunt: Mittit crystallum suum.

**Vers. 18.** **Reducit spiritum suum.]** Ebr. יִשְׁבַּדּוּ. Græc. & vulg. Lat. Flabit spiritus eius. Hieron. Spirabit spiritu suo, Et Felix: Flabit spiritu suo. Cætera satis concordant.

**EXPLA-**  
**NATIO.** **Laudate Dominum.]** Habet hic versus generalem adhortationem ad laudandum Dominum, cum adiecta ratione, quare laudandus sit Dominus. Quoniam bonum, inquit, est psallere Deo nostro: hoc est, Quoniam iustum & æquum est: vel, vt quidam expo: uat, Quoniam iucundum ac suave est. Illud, Quoniam iucundum deceat laus: idem est, ac si dicat, Quoniam decorum est, vt laudemus Dominum Deum nostrum, tanquam iucundum ac suave, qualem se erga quosuis declarat.

**Vers. 2.** **Aedificans Hierusalem Dominus.]** Iam id quod dixit, Deum esse iucundum. ideoque decere, vt laudetur, subiectis illius operibus, suauibus ac iucundis admodum, ad finem usq; Psalmi consequenter amplificat & illustrat. Adducit autem talia opera Dei, quæ partim communem illius prouidentiam erga vniuersum genus mortalium, partim singularem benevolentiam erga Israëlem declaratam cōmen- dant. Et quoniam Israëlitæ tanquam populum Dei alloquitur, orditur ab ea beneficentia Dei, quæ ipsos peculiariter concernebat dicens: Aedificans Hierusalem Dominus: hoc est, Dominus ille Deus no- ster, Hierusalem hanc ciuitatem suam aduersus omnes inimicos suos tueretur, conseruat & prouehit (hæc enim verbo aedificandi intelligit) quamvis nos deserere, & nihil minus quam Hierusalem aedi- ficare videatur. Et quoniam magis deserit quam aedificari ex eo videbatur, quod in exilium essent clues illius abducti, subiungit: Exiles Israëlis congregabit. Quasi dicat: etiamsi in exilium abducatur, ea tamen est Domini Dei nostri bonitas ac fides erga populum suum, vt in exilio constitutos, de- serere nequeat, sed reducturus ac collecturus sit suo tempore. Intelligenda sunt ista de temporibus primum Christi aduentum præcedentibus, quibus ista, quod literam attinet, sunt impleta. Oportet enim Hierusalem aedificari, & exiles illius reduci, propter Christum ex illis nasciturum, vt prophe- tiæ illum concernentes adimplerentur.

**Vers. 3.** **Qui sanat contritos corde.]** Quasi dicat: De eo quod canimus, nemo dubitare debet: sic enim com- parata est Dei nostri bonitas, vt nequeat eos, qui corde sunt contrito, negligere. Hoc est ingenio præditus, & hæc illius est consuetudo, vt contritos corde sanet, ac doloribus eorum medeat: id est, vt illis succurrat & opeim ferat.

**Vers. 4.** **Qui numerat numerum stellarum.]** Stellarum innumerabilis est multitudo: & tamen nulla ex illis est, quam ignoret Deus, sed omnes illæ sunt, velut ex nomine cognitæ. Abrahæ promiserat, Gen. 15. semen illius fore innumerabile sicuti stellas cœli. Ne quis ergo cogitet, quomodo poterit Deus tantum